

62. Bessarion

Ep. Sabinus, Card. Nicaenus, Patr. Constantinopolitanus

In Libellos de Processione Spiritus Sancti

Ad Paulum II Pontificem Maximum

Prooemium.

Eugenius IV, avunculus tuus, pontifex maximus, vir religione, virtute, rebus gestis amplissimus, inter multa, quae pro christianae rei publicae commodo, dignitate, splendore vel cogitare sapientissime vel perficere diligentissime solebat, ad id in primis omnem suam mentem, 10 curam ac studium adhibebat, ut obscuratas erroribus mortalium mentes ac tenebris caecitatis obstructas luce veritatis illuminaret. O clementiam, Romano pontifice dignam! O sapientiam principis miram, qui se, qui sua studia, qui fortunas suas omnes pro christiani populi concordia atque incolumitate devoverat! Quid enim utilius, quid excellentius, quid 15 immortali Deo gratius facere poterat, quam instar vigilantis agricolae excutere atque expurgare malam sementem, et tamquam sollicitus pastor curare morbidas oves, ne alioquin tabe invalescente non modo ipsae perirent, sed totum gregem contaminarent atque inficerent? Sciebat certe sapientissimus pontifex, quantum saepenumero discrimen, quot discor- 20 dias, quot seditiones, quot bella pepererat ob ignorantiam veritatis orta contentio, in his praesertim rebus, quae ad fidem ac religionem pertinerent. Quin etiam viderat, audierat, legerat, ut parva interdum erroris scintilla non modo unam ecclesiam aut civitatem, sed plures etiam maximasque provincias veluti alicuius morbi contagione foedaverat. 25 Hinc post alia eius egregia opera Ferrariae primo, deinde Florentiae, clarissimis Italiae urbibus, generale Christianorum concilium tanto labore, studio, vigiliis, sumptibusque coëgit, ut pestiferam illam ac iam tot annis inveteratam orientalis atque occidentalis ecclesiae dissensionem de medio tolleret et male de fide sentientes ad capessendam 30 veritatem induceret. Quod tandem commonendo fratres, praedicando, instruendo, hortando, interdum etiam disputationem aculeis proster- nendo Deo, cuius res gerebatur, favente consecutus est.

Ep. 62. Bessarions Widmungsschreiben an Papst Paul II zur Überreichung seiner Reden, die er auf dem Unionskonzil zu Ferrara-Florenz gehalten hatte. Für Bessarions wissenschaftliche Betätigung ist die Angabe wertvoll, daß er in seinen alten Tagen seine früheren schriftstellerischen Leistungen sammelte und überarbeitete. Das gleiche berichtet über ihn Niccolò Capranica in seiner Oratio funebris c. 9 (oben S. 410).

Überlieferung: Venedig, Cod. Marc. lat. 133; Mailand, Bibl. Ambr. R 4 sup. fol. 1—3. — Druckausgaben: A. M. Zanetti, Latina et Italica D. Marci Bibliotheca Codicum manuscriptorum. Venetiis 1741, p. 76 sq. — Migne PG 161, 319 sq.

Huic ergo concilio, summe pontifex, cum ab optimo imperatore nostro vocatus una cum ceteris orientis episcopis interesssem, nec me lateret sacrosanctam Romanam ecclesiam, quae columna semper ac firmamentum christianae fidei fuit, recta sentire, e nostris vero ple-
 5 rosque contentionis cupidiores esse quam veritatis, pro virtute mea mihi elaborandum existimavi, ut veram omnes opinionem amplexi veterum errorum sordes maculasque deponerent. Amabam equidem nostros ho-
 mines, ut par erat, nostramque causam; si fieri potuisset, optassem esse meliorem; sed amanda in primis ac praeferenda veritas fuit, et absque
 10 invidia, quidquid recte diceretur, amplectendum. Diversas itaque in concilio orationes inter nos habui, in quibus cum de aliis rebus, tum praecipue de processione spiritus sancti, de quo maxima tunc quaestio erat, latissime disserui, eumque a patre filioque procedere, ut rationes ta-
 ceam, non modo Latinorum, sed etiam Graecorum doctorum auctori-
 15 tate apertissime demonstravi, hortatus postremo omnes, ut relictis errorum tenebris tamquam veri luminis radiis illustrati sese ad Romanae ecclesiae lucem splendoremque converterent.

Eas orationes, quamquam ab amicis saepe rogatus fuerim, conscius tamen imbecillitatis meae edere numquam volui, nihil in his esse existimans, quod dignum videri eruditae auribus posset. Verumtamen cum,
 20 versantibus nuper mecum libellos meos quibusdam familiaribus nostris, in eorum forte manus incidissent, nec prohibere potuissem, quin eos accuratius legerent, non modo hortari me postea non destiterunt, sed etiam vehementer efflagitare, ut tam ea, quam alia quaedam opuscula, quae post dissolutum concilium quibusdam adhuc a recto itinere devi-
 25 antibus scribere compulsus fui, pro communi hominum commodo ederem, pleraque in his esse dicentes a Graecis sumpta auctoribus, quae, cum apud Latinos nusquam haberentur, non parvam forent legentibus utilitatem allatura. Quapropter veluti inops consilii haesi aliquamdiu et, quid mihi agendum esset, dubitavi. Illinc enim, ut ederem, familia-
 30 rium meorum urgebat auctoritas, hinc ut supprimerem, mea me hortabatur infirmitas.

Tandem vero illud animo occurrit, ut lucubrationes meas tuo sacratissimo nomini, dive pontifex Paule, dedicarem. Nam cui potius, quae de religione a nobis sub divo Eugenio, avunculo tuo, scripta sunt,
 35 dari, donari et consecrari debebant, quam tibi, quem et religionis principem ac magistrum et illius non modo sanguinis, sed etiam pontificatus successorem esse divina providentia voluit? Qui divino consilio, singulari sapientia et incredibili animi magnitudine commissum humeris tuis imperium ita gubernas, ut non modo pullulantes aliquando haereses ex
 40 propinquis Romanae ecclesiae provinciis, sed etiam inveteratas ex remotissimis ac potentissimis regnis extirpes atque evellas; a quo ita brevi tempore auctum est ecclesiae imperium et huius sacrae sedis

maiestas, ut et te, quod raro evenire hominibus consuevit, timeant pariter omnes atque ament, et Romanae ecclesiae nec potentia umquam tanta fuerit nec tanta auctoritas. Tuae igitur clementiae erit, summe pontifex, concedere hoc fidei erga te meae, ut libellum hunc libenter
 5 accipias, demumque pro tuo sapientissimo iudicio vel edas vel supprimas. Quod si edendum judicaveris, plurimum certe auctoritatis videbitur tua gratia consecutus.

63. Bessarion Cardinalis

Christophoro Mauro Ducl

Et Senatui Venetorum.

Equidem semper a tenera fere puerilique aetate omnem meum laborem, omnem operam, curam studiumque adhibui, ut quotcumque possem, libros in omni disciplinarum genere compararem. Propter quod non modo plerisque et puer et adolescens manu propria conscripsi, sed
 15 quidquid pecuniolae seponere interim parca frugalitas potuit, in iis coëmendis absumpsi. Nullam enim magis dignam atque praeclaram suppellectilem, nullum utiliorem praestantiorumque thesaurum parare mihi posse existimabam. Quippe pleni sunt libri sapientium vocibus, pleni antiquitatis exemplis, pleni moribus, pleni legibus, pleni religione. Vi-
 20 vunt, conversantur, loquunturque nobiscum, docent nos, instituunt, consolantur, resque e memoria nostra remotissimas quasi praesentes nobis exhibent et ante oculos ponunt. Tanta est eorum potestas, tanta dignitas, tanta maiestas, tantum denique numen, ut, nisi libri forent, rudes omnes essemus et indocti, nullam fere praeteritarum rerum me-
 25 moriam, nullum exemplum, nullam denique nec humanarum nec divinarum rerum cognitionem haberemus. Eadem urna, quae hominum corpora contegit, etiam nomina obrueret.

8 M *Suprascriptio*: Illustrissimo atque invictissimo principi, domino Christophoro Moro, duci et inclyto Venetorum senatui Bessario, cardinalis et patriarcha Constantinopolitanus, salutem.

Ep. 63. Bessarion schenkt seine Bibliothek der Republik Venedig. Er schildert, mit welchem Eifer er sie gesammelt, immer im Hinblick darauf, die alten Kulturschätze zu retten. Die Bücher sollen seinen Landsleuten, aber auch den Lateinern an einem sicheren Platz zugänglich bleiben. Das Datum ist nach dem Cod. Marc. die 31. Mai 1468 (Migne: 4. Mai).

Handschriftliche Überlieferung: Venedig, Cod. Marc. lat. L. XIV 14, fol. 1—4 (= M); Rom, Cod. Vat. lat. 5302, fol. 108—109 v; Cod. Vat. lat. 3962; Bibl. Angelica, Cod. 479, fol. 119—122; Paris, Cod. gr. 3064, fol. 16—33. — Druckausgaben: J. Valentinelli, Bibliotheca manu scripta S. Marci Venetiarum, Codd. mss. lat. I (Venetiis 1868) p. 16—19. — H. Omont, Revue des bibliothèques. IV (Paris 1894) p. 138—140. — Migne, PG 161, 700—702 (vielfach verschlechtert).

Quamvis autem huic rei toto animo semper incubuerim, ardentiori tamen studio post Graeciae excidium et deflendam Byzantii captivitate in perquirendis graecis libris omnes meas vires, omnem curam, omnem operam, facultatem industriamque consumpsi. Verebar enim et vehementissime formidabam, ne cum ceteris rebus tot excellentissimi 5 libri, tot summorum virorum sudores atque vigiliae, tot lumina orbis terrae brevi tempore periclitarentur atque perirent, quemadmodum etiam superiori tempore tantam iacturam fecimus, ut ex ducentis viginti milibus librorum, quos Plutarchus refert in bibliotheca Apamiarum fuisse, vix mille aetate nostra supersint. Conati autem sumus, quantum in no- 10 bis fuit, non tam multos quam optimos libros colligere et singulorum operum singula volumina, sicque cuncta fere sapientum graecorum opera, praesertim quae rara erant et inventu difficilia, coëgimus. Ceterum cum haec mente saepe repeterem, parum desiderio meo satisfacisse videbar, nisi pariter providerem, ut libri, quos tanto studio et 15 labore coëgeram, me vivo ita collocarentur, ut etiam defuncto dissipari alienarique non possent, sed in loco aliquo, tuto simul ac commodo, ad communem hominum, tam Graecorum quam Latinorum, utilitatem servarentur.

Hoc igitur cogitanti mihi multasque Italiae urbes animo volventi 20 sola vestra inclyta atque amplissima civitas occurrit, in qua animus meus omni ex parte conquiesceret. Primo enim non videbam, quem locum eligere tutiorem possem, quam eum, qui aequitate regitur, legibus tenetur, integritate ac sapientia gubernatur, ubi virtutis, continentiae, gravitatis, iustitiae, fidei domicilium est, ubi imperium, ut maximum 25 est atque amplissimum, ita aequabile ac moderatum, animi in consulendo liberi, nulli libidini, nulli delicto obnoxii, prudentes clavum imperii tenent, et boni malis praeponuntur, ac privatorum commodorum obliti totum corpus reipublicae unanimi consensu et summa integritate procurant. Ex quibus sperandum est civitatem vestram, quod optamus, 30 in dies magis et vires et nomen propagaturam. Dehinc intelligebam nullum locum a me eligi posse commodiorem ac nostris praesertim hominibus aptiorem. Cum enim in civitatem vestram omnes fere totius orbis nationes maxime confluant, tum praecipue Graeci, qui e suis provinciis navigio venientes Venetiis primum descendunt, ea praeterea vobiscum 35 necessitudine devincti, ut ad vestram appulsi urbem quasi alterum Byzantium introire videantur. Post haec quomodo poterit hoc beneficium a nobis honestius locari, quam apud eos homines, quibus ego multis eorum in me beneficiis devinctus obstrictusque essem, et in ea civitate, quam mihi subiugata Graecia pro patria elegissem, et in quam accitus 40 a vobis atque honorificentissime receptus fuisset?

Itaque conscius mortalitatis meae et ingravescentem iam aetatem diversosque, quibus affligimur, morbos et cetera, quae evenire possent,

considerans omnes libros meos utriusque linguae sacratissimae aedi
 beati Marci vestrae inclytae civitatis dono dedi atque dicavi, sentiens
 talem me animum et excellentiae vestrae et gratitudini meae et, quam
 mihi communem esse voluistis, patriae debuisse, ut vos ac liberi poste-
 5 rique vestri, qui me virtute ac sapientia vestra multisque in me bene-
 ficiis addictum, deditum obstrictumque habetis, huiusmodi meorum la-
 borum imprimis fructus uberes diuturnosque capiatis, dehinc ceteri,
 qui bonarum disciplinarum studiosi erunt, vestra causa capiant. Qua-
 propter et donationem ipsam et librorum indicem et pontificis maximi
 10 decretum ad vestras excellentias mittimus precantes Deum, ut reipu-
 blicae vestrae omnia bene, feliciter prospereque eveniant, et pacem ha-
 beat, tranquillitatem, otium concordiamque perpetuam. Valeant ex-
 cellentiae vestrae feliciter.

Ex balneis Viterbiensibus anno salutis 1468, pridie Kalendas
 15 Iunias.

64. Bessarion Cardinalis

Marsilio Ficino.

Spectate docteque vir, amice noster. Superioribus litteris elucubra- L 62
 tum opus nostrum et nuper editum in defensionem Platonis nos ad te L 62^v
 20 missuros promisimus, cum ob ingenium tuum et Platonicae doctrinae
 studium eximium, tum ut, quid nos ex illo fonte hauserimus, facile
 perspicias et legas. Si quid enim in hac industria nostra vel eloquentiae
 vel bonarum artium cognitionis eluxit, si quid fuimus, id omne vel nos
 ab illo accepisse, vel ipsum sibi se defendendo suppeditasse facile exi-
 25 stimari patimur et volumus. Quod nonnihil quoque ad illius laudem
 pertinere videtur, ut suis viribus, sua amplitudine causam pro se dixerit,
 alieno auxilio non eguerit, voci tamen patroni locum reliquerit ac stu-
 dio. Hunc librum ad te dedimus his, qui curam hic gerunt rerum illo-
 rum, ex medicis. Quo mittendo cum fidei et promisso nostro omnino,

16 L *Suprascriptio*: Bessarion Cardinalis Sabinus Marsilio Ficino Platonico. |
 27 tamen L tantum Q L | 28 his L iis Q L

Ep. 64. Bessarion läßt sein Werk „In Calumniatorem Platonis“ — gemeint ist die Druckausgabe der lateinischen Übersetzung v. J. 1469 — Marsilius Ficinus zugehen.

Überlieferung: Florenz, Bibl. Laur. Plut. 83, Cod. 18 fol. 62—63 (= L). ←
 Druckausgaben: Epistolae Marsilii Ficini Florentini I 12. Per Antonium Koberger,
 1497 (Hain *7062), fol. 7. — A. M. Quirini, Liber singularis de optimorum scriptorum
 editionibus, quae Romae primo prodierunt post divinum typographiae inventum, Lin-
 daugiae 1761, p. 227 sq. (= Q). — E. Legrand, Bibliographie Hellénique. III Paris
 1903, p. 4 (= L). — Eine deutsche Übersetzung bei Karl Markgraf von Montoriola
 (Ps. für Karl Paul Hasse), Briefe des Mediceerkreises, Berlin 1926, S. 114.

tum studiis tuis atque animo erga Platonem nonnihil satisfactum esse putamus.

- L 63 Bene vale et, an librum acceperis, nos facies certiores.
Ex Urbe, Idibus Septembris 1469.

B 260

**65. Marsilius Ficinus
Bessarioni Cardinali.**

Plato noster cum in Phaedro non minus copiose quam subtiliter de pulchritudine disputasset, animi pulchritudinem a Deo, quam et sapientiam et aurum pretiosissimum vocat, postulavit. Aurum hoc a Deo Platoni tributum Platonico in sinu mundissimo clarissime fulgebat. 10
Verbis autem et litteris licet luculentissimis, intellectu tamen obscurioribus involutum evaserat obscurius, et quasi terreno quodam ambitu obsitum eos homines latebat, qui lynceos oculos non haberent. Quocirca nonnulli quondam minutiores philodoxi exteriori glæba decepti, cum non possent ad intima penetrare, latentem thesaurum con- 15
temnebant. Sed tandem in Plotini primo, deinde Porphyrii et Iamblichi, postremo Procli officinam aurum illud deportatum exquisitissimo ignis examine excussis arenis emicuit usque adeo, ut omnem terrarum orbem miro quodam splendore illustraverit. Sed tantis radiis noctuae quaedam seu bubones, ut videtur, offensi sacrum illud Platonis nostri thesaurum non modo spernere ut quondam nonnulli, sed etiam — proh nefas — vitupero receperunt, quod multo erat priori errore deterius. Sed tu, Bessario, academiae lumen medicamentum confestim saluberrimum hebetibus et caligantibus oculis adhibuisti, ut iam aurum illud Platoni divinitus datum non modo defaecatum ac mundum sit, 25
sed tractabile manibus et oculis innoxium. Hoc vaticinatus aliquando Plato fore tempus Dionysio inquit post multa saecula, quo theologiae

5 B *Suprascriptio*: Marsilius Ficinus Bessarioni cardinali salutem plurimam dicit. | 23 columnen B

Ep. 65. Marsilius Ficinus, im Besitz von Bessarions In Calumniatorem Platonis, feiert in seiner Antwort auf den vorhergehenden Brief diese Leistung mit erhebenden Worten. Bezeichnend für die noch unkritische Auffassung dieses Platonikers ist, daß er die verschüttete Weisheit Platons bei Plotinos, Pophyrios, Jamblichos und Proklos wieder in reiner Form findet. Bessarion weiß er zu sagen, daß er die Philosophie Platos, nachdem in neuerer Zeit gewisse Nachteulen sie geschmäht haben, von neuem als glänzendes Gold herausgestellt habe. Der Gegner habe das Verdienst, durch seinen Unverstand ein solch unsterbliches Werk angeregt zu haben.

Überlieferung: Rom, Cod. Vat. lat. 3399, fol. 260—261. — Druckausgaben: Epistolae Marsilii Ficini Florentini. I 13. Per Antonium Koberger, 1497 (Hain *7062), fol. 7. — Malvasia, Compendio storico della basilica de' XII Apostoli. Roma 1665. — Eine deutsche Übersetzung bei Karl Markgraf von Montoriola (Ps. für Karl Paul Hasse), Briefe des Mediceerkreises. Berlin 1926, S. 115.

mysteria exactissima discussione velut igne aurum purificarentur. Venerunt iam saecula, Bessario, quibus et Platonis gaudet numen et nos omnes eius familia summopere laetamur.

Libri tui, dici non potest, quanto cum desiderio atque admiratione
5 ab omnibus legantur. Fit saepe, ut inter legendum exclamantes audi-
amus: O rem miram, o excellentem! Et quod vix credibile existimes,
una ab omnibus adversarius maxime commendatur, quod imprudens B 261
atque impudens causam dederit, ut tam divinum opus et immortalitate
dignum humanum genus haberet. Vale.

10 Florentiae.

66. Βησσαρίων Καρδινάλις

Ἰωάννη τῷ Ἀργυροπούλῳ.

Ἀνέγνωμεν, ἃ πρὸς τὰ ἐν προοιμίῳ τῆς ὑπὲρ Πλάτωνος ἀπολογίας ἐν- L 1^v
ιστάμενος γέγραπας, ἐθαυμάσαμεν οὖν, ὅτι πρὸς οὕτω βραχὺν καὶ σαφῆ λόγον B 9
15 ἑλληνικὸν ζητοῦντα κατ' ἐπιδρομὴν καὶ ἐπιτετμημένως, εἰ ἓνια τῶν εἰδῶν D 179^v
εἰσι χωριστὰ ἢ πάντῃ ἀχώριστα· καί, εἰ χωριστὰ, πότερον καθ' αὐτὰ ὑφεστη-
κότα ἢ ἐν ἐπίνοίαις κείμενα· ἄλλως γὰρ ἂν ἐνῆν τὰ Πορφυρίου πρὸς ἔπος
ἐκθέσθαι γνώριμα καὶ παισὶν ὄντα· τοσοῦτον λόγων πλῆθος ἀντέθηκας, οὐδέν,
ὡς οἴμαι, δέον. ἅπερ καὶ ὡς περὶ μεγίστων δὴ τὸν λόγον ποιούμενα, οὐ διερ-
20 ρήξαμεν ἀναγνόντες, ὡς αὐτὸς ὑπετίθει, καὶ ἅμα ὅτι οὐδέν ἂν ἐγένετο προὔρ-
γου διαρραγέντων. καὶ γὰρ δὴ πολλοῖς καὶ πρὸ ἡμῶν ἐγνωσται ἐν ταῖς δημο-
σίαις πρὸς τοὺς ἀκροατὰς ὁμιλίαις. καὶ ταῦτά σου πολλάκις παρενεύραντος,
εἴτε πρὸς τὸ προκείμενον εἴτε καὶ μὴ, οὐδέν δεῖ λέγειν.

Διερρήξαμεν οὖν αὐτὰ οὐδαμῶς· αὐτοὶ δὲ μηδεμίαν, ὡς ὄρας, σχολὴν
25 ἄγοντες φιλοσοφεῖν, φεύγοντες ἅμα καὶ τὸ ἐρίζειν καὶ μάτην ἐπιδείκνυσθαι,
Θεόδωρον ἐξετάσαι τοὺς λόγους ὅσον δύνανται προετρέψαμεν, καὶ κοινῇ συν-
διασκέψασθαι μετὰ σοῦ, εἰ τὰ ἡμῖν εἰρημένα οὐτ' ἐπὶ τῶν ὄντων, οὐτ' ἐπὶ
τῶν μὴ ὄντων ἀληθεύει, ὡς φῆς, καὶ ἅμα γυμνασίας λογικῆς ἕνεκα, καὶ

13 Ἀνέγνωμεν L *Lamp.* Ἀνέγνωμεν B V D | 15 ἓνια L *Lamp.* ἓνοια B V D |
16 πάντῃ B D V πάντα L | 19 ποιούμενα] B *corr.* ex ποιούμενον | 26 Θεόδωρον V D
Θεόδορον B | 26 κοινῇ συνδιασκέψασθαι L *Lamp.* κοινήσεν διασκέψασθαι B V D |
27—28 οὐτ' ἐπὶ τῶν μὴ ὄντων V *add. in marg.*

Ep. 66. Mit diesem Begleitschreiben ließ Bessarion Gazes' Antirrheticon Argypopulos zugehen. Über die näheren Zusammenhänge vgl. die Ausführungen oben S. 204 f.

Überlieferung: Florenz, Bibl. Laur. Plut. 55, Cod. gr. 13, fol. 1 v (= L). — Rom, Cod. Vat. gr. 1393, fol. 9—9 v (= B). — Bibl. Vallic. Cod. gr. C VIII 5, fol. 1 v—3 v (= V). — Mailand, Bibl. Ambr. D 118 inf. fol. 119 v—120 r (= D). — Zu L und B vgl. oben S. 205, zu D oben S. 152, 158 f. 205 f. — Erstmals ist der Brief herausgegeben bei Bandini, *Catalogus manuscriptorum Bibliothecae Mediceae-Laurentianae*. II p. 276 nach L. Weiter nach den genannten Hss bei Σπυρ. Π. Λαμπρός, Ἀργυροπούλεϊα. Ἐν Ἀθήναις 1910, S. 219—221; 346—348.

Mohler, *Kardinal Bessarion*. III.

ὥστε ἢ πεισθῆναι ἢ μεταπειῖσαι ἡμᾶς. ἐκεῖνος μὲν οὖν τὸ κελευσθὲν ἐποίησεν· ἡμεῖς δὲ ὥσπερ καὶ πρότερον ταῦτα ἀκηκοότες καὶ εἰδότες, ὅμως οὐδένα πρὸς σὲ πεποιήμεθα λόγον, δεδιότες μὴ χαλεπήνης διὰ τὸ εὐόργιστον, καὶ περὶ πλείονος ποιούμενοι τὸ εὐνοϊκὸν τῆς δοξοσοφίας, οὐδὲν τῆς ἀρχαίας περὶ σὲ διαθέσεως ἠμείψαμεν. οὕτω καὶ νῦν εὐλαβούμεθα πέμψαι σοι τὰ γεγραμ- 5 μένα, οὐκ ἐλπίζοντες ὁμοίᾳ ψυχῆς ἡρεμίᾳ καὶ σὲ οἴσειν, καίτοι μετρίως τε καὶ πρὸς τὸν λόγον, οὐ τὸν λέγοντα εἰρημένα, καὶ ἅμα σοῦ ἄρξαντος. τοῦτο δὲ οὐ δεινόν, εἴ τις ἀπολογοεῖται κατηγορούμενος· μᾶλλον δὲ τοῦτο μὲν ἀναγκαιόν, ἐκεῖνο δὲ περιττόν, καὶ μάλιστα¹ ὅτι καὶ μετὰ πάντας τοὺς ἄλλους ἡμῖν ἐκοινώσω, δέον πρὸ πάντων ἡμῖν, εἴ ἀπ' εὐνοίας, ὡς φῆς, ἐγεγόνει. τὸ 10 γὰρ ἀπ' εὐνοίας, καὶ πρώτοις καὶ μόνοις τοῖς φιλουμένοις κοινούμεθα.

Ἦι οὖν ἔφαμεν, οὐ πέμπομέν σοι τὰ γεγραμμένα, οὐτ' ἴσως πέμψομεν, εἴ μὴ ἐπαγγέλλοιο πρῶτον ἡμῖν ἄνευ ἔριδος καὶ χολῆς καὶ διέναι καὶ ἀντειπεῖν, εἴ βούλοιο, καὶ πᾶσαν τῆς ψυχῆς ἀπελάσαι μῆνιν καὶ θυμὸν καὶ χόλον. τοῦτο δὲ φαμεν, ὡς οἶόν τε μὲν ἀνθρώπῳ καὶ μέρος τι παθητικὸν ψυχῆς ἔχοντι, 15 σοφῶ δὲ ἄλλως καὶ διὰ τῆς ἱεραῆς ἡγμένῳ φιλοσοφίας. εὖ πράττειν.

67. Bessarion Cardinalis

Ad Paulum Pontificem Maximum

De Errore Paschatis.

Non dubium est, beatissime pater, in resurrectionis Paschate cele- 20 brando errorem aliquando committi, nonnumquam octo dierum, quandoque unius mensis et amplius, ut hoc anno 1470 eveniet. Hoc tamen raro accidit.

Duabus de causis error existit: altera ex lunationibus, altera ab aequinoctio. Nam sancti patres nostri Pascha nostrum celebrari volu- 25 erunt: primo, post aequinoctium veris; secundo, post quartumdecimum diem primae lunae post aequinoctium vernale; tertio, non cum Iudaeis; quarto, die dominico post Iudaeorum Pascha. Quae omnia ut rite ser-

1 ὥστε B V D *Lampyr.* ὡς L | 1 κελευσθὲν B V D *Lampyr.* κελευθὲν L | 4—5 δοξοσοφίας . . . διαθέσεως] V *in marg.* | 10 πρὸ] V *corr.* *ex* περὶ | 11 κοινούμεθα D L *Lampyr.* κινούμεθα B V | 12 ἔφαμεν B V L ἔφημεν D *Lampyr.* | 13 ἐπαγγέλλοιο B D L ἐπαγγέλοιο V | 13 ἡμῖν B L ἢ μὴν D *Lampyr.* | 13 ἀντειπεῖν] B *corr.* *ex* ἀντιπεῖν | 16 πράττειν B V D πράττοις L

M *Suprascriptio*: Bessarion, Episcopus Sabinus, cardinalis Nicaenus ac patriarcha Constantinopolitanus, ad Paulum pontificem maximum de errore Paschatis.

Ep. 67. Bessarion erörtert dem Papst, wahrschein'ich auf eine Anfrage hin, die falsche Oster- und Jahresberechnung. Gleichzeitig macht er auf die Schwierigkeiten aufmerksam, die sich aus einem neuen Kalender ergäben.

Überlieferung: Venedig, Cod. Marc. lat. 491, fol. 1. Druckausgaben: A. M. Zanetti, Latina et Italica D. Marci Bibliotheca manuscriptorum. Venetiis 1741, p. 196—198. — Migne PG 161, 675—678.

ventur apertaque sint et cognita vel iis, qui scientiae astronomicae non sunt periti, tabulam quandam sive canonem ediderunt, in quo singulis annis reperitur prima post acquinoctium oppositio lunaris, quo tempore debet esse Pascha Iudaeorum ac dies septimanae, in quem cadit
 5 eiusmodi lunae oppositio, ac deinceps dies dominicus, quo Pascha nostrum celebrari oportet, quod usu evenit per calculationem 19 annorum lunarium. Veteres nam astronomi lunam 19 annorum spatio ad idem signum circumagi, unde incepit, existimarunt. Nititur praeterea haec tabula opinione illa de aequinoctio, quod scilicet vernale aequi-
 10 noctium 300 annorum intervallo eodem die mensis Martii fieri contingeret. Quorum neutrum verum est.

Nec tamen mirandum, si tanti viri in eiusmodi re lapsi sunt. Nam etsi astronomi veteres eam scientiam optime tenuerint, tamen non attigerunt veritatem omnem motus caelestis, non sua quidem ignorantia
 15 decepti, sed rerum caelestium natura superati. Astronomia enim, cum non plane veritatem assequatur, sed propius accedat, ut philosophi affirmant, quo plures observationes caelestium motuum complectitur, eo magis per illorum comparisonem ad veritatem tendit. Qua de causa posterius propius semper accesserunt, cum plures habuerint observationes.
 20 Etenim Ptolemaeus, astrorum scientia eruditissimus, qui primus eam absolute tradidit, augem (!) solis immobilem esse putavit. Quem tamen posteriores moveri sentiunt. Velut sphaera non erratica movetur. Quod verum est. Eandem praeterea sphaeram Ptolemaeus uno gradu moveri ait annis centum ab occidente in orientem; posteriores vero paucioribus.
 25 Idem et in re, de qua agitur. Quamvis antiqui lunam incipientem primo anno, verbi gratia a primo gradu arietis, postea expleto 19. anno iterum ad idem signum reverti putaverint, non tamen verum est; nam 76. anno deerit ei una omnino quarta pars diei ad idem principium attingendum, ita ut 303 annis unius diei spatio sit adfutura.

30 Inde nimirum error manavit de Paschate nostro per totam nonnumquam septimanam. Facimus nam Pascha una septimana tardius, qua in re error est, qui ex aureo numero provenit; nam lunationes istas sequitur. Ad haec nos agimus annum secundum Romanorum consuetudinem dierum 365 ac unius quarti, ita ut quartus annus semper dies
 35 366 comprehendat. Unde bissextus deducitur, et inde solaris annus, at verus non sit tantus, sed major 300. vel 200. unius diei parte. Propterea vel 300. quoque anno, vel 200., ut iuniores acutius intellexerunt, aequinoctium uno die retrocedit. Ex quo evenit, ut in Paschate nostro error sit unius aliquando mensis et amplius, ac mense post celebremus Pascha,
 40 quam deberemus, quemadmodum hoc anno. Id tamen raro accidit. Quare planum est aurei numeri ac lunationum istorum 19 annorum veterem ac perpetuam observationem causam esse huius inveterati erroris. Idcirco ab iis et eorum via ac regula discedendum. At si quis

huic rei apte consulere velit, oportet ut calculet denuo istas lunationes, novamque tabulam conficiat, per quam aequae docti atque indocti Pascha reperiant. Sed non diu erit utilis. Nam post annum 300. rursus uno die errabit, et eodem modo deinceps.

Erit praeterea admodum difficile, ut Christianis omnibus cuiusque 5 nationis et sectae hoc sit cognitum. Hoc nam tempore cuncti Christiani nationis omnis, sectae et haeresis de Paschatis die conveniunt, eodemque die omnes celebrant, quod pulchrum et honestum est. Si vero mutabitur, illi non recipient, et sequetur confusio, ut aliis Christianis ieiunantibus alii paschalibus gaudiis indulgeant, ac homines, etsi non ca- 10 tholici omnes, tamen a Christo Domino appellati, variis diebus Pascha celebrent. Mandare praeterea, ut Christiani lunationes sequantur, ac primo die dominico post primam oppositionem lunae, factam post aequinoctium vernale, Pascha faciant, difficile erit, praesertim rerum caelestium ignari. Quisnam in vicis parvisque oppidis, ubi non est doc- 15 torum hominum copia, scire posset quando erit novilunium, quando oppositio? Aut quid difficilius est et magis varium, quando sit aequinoctium? Errabunt omnes et dissentient. Praeterea hic error nihil mali affert. Cum enim in Paschate celebrando quattuor sint servanda, ut dictum est: ut fiat post aequinoctium vernale; post primum pleni- 20 lunium post tale aequinoctium; non cum Iudaeis; die dominico post Pascha Iudaeorum, omnia haec aut certe magis necessaria per hanc tabulam servantur, et quamvis erremus celebrando Paschate nonnumquam tardius aliquibus diebus, tamen hic error facit nos diligentius servare tertiam conditionem, quae admodum necessaria est, ut scilicet non 25 cum Iudaeis celebremus. Tanto enim magis ab illis discedimus, quanto tardius agimus. Itaque nihil immutandum videtur ob eas rationes, quae supra commemoratae sunt.

68. Bessarion Cardinalis

Illustrissimis atque Inclytis

Italiae Principibus.

Cum Nonis Sextilibus, illustrissimi principes, infelicissimum illud novum Euboicae eversionis ad nos primum allatum fuisset essemque supra, quam dici potest, animo anxius atque sollicitus, ut vix respirandi causam viderer habiturus, accidit forte fortuna, ut eo ipso die, dum 35

Ep. 68. Bessarions Widmungsschreiben zu seinen Reden gegen die Türken an die Fürsten Italiens vom Jahre 1470.

Überlieferung: Rom, Cod. Vat. lat. 3586, fol. 19^v—20; Bibl. Angelica, Cod. 1377, fol. 16^v—17. — Druckausgaben: Romae, in aedibus Francisci Priscianensis Florentini 1543. — Romae 1587, apud Antonium Bladium. — Migne, PG 161, 647 (fehlerhaft). Italienische Übersetzung von Filippo Pigofetta, Venezia 1573. 1581. Firenze 1594.

ita essem affectus, abbatis cuiusdam viri optimi Bessarionis litteras a Neapoli, ubi nunc monasterio Sancti Severini ex consortio beatae Iustinae est praefectus, acceperim, quibus ad me scribebat maiestatem regiam miro quodam animi studio ad propugnationem christianae fidei
 5 et immanissimi hostis nostri interitum ardentem atque inflammata esse. Illis mox respondi et, ut litteras meas celsitudini regiae ostenderet, monui. Duas praeterea orationes pro tantae rei magnitudine ac periculis christianae reipublicae imminentibus edidi. Altera demonstratum est fortunam periculaque ista ad omnes pertinere. Altera vos, Italiae op-
 10 timi principes, ad concordiam bellumque in hostes decernendum cohortatus sum. Id enim meo convenire officio putavi. At cum facilius auditores persuaderi soleant, quo gravior auctoritas et fides dicenti tribuitur, Demosthenis philosophi nobilissimi summique oratoris orationem, quam in eius generis causa habuit, graeca lingua in latinam con-
 15 verti, plane ut omnes intelligant me neque inutilia neque amplissimorum virorum opinionibus aliena consulere. Ea omnia vobis mittenda censui, ut aut ipsi legatis, cum per publica negotia, quae multa quidem et gravia sunt, licuerit, aut aliis legenda atque referenda tradatis. Sunt enim cunctis vobis principibus communia, qui, ut feliciter huic nobi-
 20 lissimae provinciae praeestis, ita ut in posterum felicius eam regatis, et nos optamus, et vos conari debetis.

69. Bessarion Cardinalis

Christophoro Mauro

Venetorum Duci.

25 Redditae mihi hodie fuerunt litterae sublimitatis tuae, illustrissime B 20 princeps, quae licet renovarint mihi dolorem paulo ante susceptum et vulnus refricuerint, admonuerint etiam periculorum christianae reipublicae imminentium et ad excitandos nostrorum principum animos multis rationibus et mira quadam facundia hortatae sint, nihil tamen novi

20 B *Suprascriptio*: Bessario Cardinalis Nicaenus inclyto Venetorum duci Christophoro Mauro salutem.

Ep. 69. Der Brief stammt aus der Zeit nach der Eroberung von Chalkis auf Euböa durch die Türken (12. Juli 1470). Bessarion erinnert den Dogen Cristoforo Moro an seinen diesbezüglichen Brief, den er an den Abt Bessarion von S. Severino in Neapel gerichtet und von dem er eine Abschrift auch dem Dogen habe zugehen lassen. Der König von Neapel sei, seitdem er von der Sachlage Kenntnis erhalten habe, für die Abwehr der Türken hell begeistert. Den Bericht aus Neapel, den er beilege, bitte er mit Überlegung zu lesen. — Entweder fehlt in dem vorliegenden Schreiben der Schluß, oder es ist lediglich als Vorwort zu dem mitübersandten Brief an den Abt Bessarion gedacht.

Der bisher noch ungedruckte Brief ist überliefert: Rom, Cod. Vat. lat. 5356, fol. 20—20 v.